

PSALMI CXLV. DISPOSITIO.

Gloriosus Dominus. Bonus dat escam : adest pius.

Habetur hic I. Dei devota celebratio : ubi (1) celebratus : *Deus meus, ô rex* : (2) actus : *extollam, celebrabo, laudabo te*, (3) celebrantes : *ego David* : v. 1. 2. omnes generationes : v. 4. 6. 7. omnia opera Dei : *sancti ejus* : v. 10. seqq. (4) duratio : *in secula sempiterna : omni die* : v. 1. 2. (5) ratio : (a) *Deus est magnus imperscrutabiliter* : (b) *laudabilis valde* : v. 3. (c) *opera ipsius à quibusvis generationibus commendanda* : (d) itemque *potestas ipsius* : v. 4. (e) *gloria majestatis ipsius honoranda* : (f) *mirabilia ejus memorabilia* : vers. 5. (g) *robur formidabilium ipsius recensendum* : v. 6. (h) *immensa bonitas ipsius memoranda* : v. 7. (i) *justitia ipsius decantanda* : v. 7. (k) *gratiosus, misericors, longanimis multaeque gratiae est ipse* : v. 8. quæ ipsa bonitas & misericordia est universalis super

omnes & omnia ipsius opera seu creaturas : v. 9. adeoque ab omnibus etiam celebranda : vers. 10. (l) *gloria majestasque regni hujus annunciari meretur omnibus Adami posteris* : vers. 11. 12. 13. (m) *sustentat omnes cadentes* : (n) *erigit omnes incurvatos* : v. 14. (o) *omnibus ad se spectantibus cibum suppeditat oportune* : vers. 15. *satians cum voluptate* : vers. 16. (p) *justus est in omnibus viis suis* : (q) *benignus in quibusvis operibus suis* : vers. 17. (r) *exaudit omnes se rectè invocantes* : vers. 18. 19. (s) *salvat custoditque cultores suos* : vers. 19. 20. (t) *perdit omnes impios* : vers. 20.

II. Conclusio priora repetens : (1) *os meum dicet laudem Domini* : [2] *omnis caro benedicet sancto ipsius nomini in aeternum* : vers. 21.

PSALMUS CXLV.

EXPLICATIO VERSUS I.

הלה *Laus vel celebratio* :) unicus hic est psalmus, qui hac inscriptione gaudet. Eucharisticus autem est, sicut & illi, qui præfixum habent **הללויה**, ut Psalm. CVI. CXI. CXII. CXIII. CXXXV. CXLVI. seqq. Iterum verò literarum alphabeti series deprehenditur in literis versuum initialibus, nisi quod *Num* desideretur : de quo suo loco. Similem tum acrostichin, tum defectum vide Psalm. XXV.

ארוםסך *extollam te* :) mente nimirum submissè admirabunda, linguaque studiosissimè glorificante, tuam inter homines majestatem verè eminentissimam supra cuncta efferendo ; sicuti idem promissum, conatumque similem verbo hoc expressum, vidimus Psal. xxx, 2. & cxviii, 28. Nonnulli Rabbinorum tanti fecerunt huncce Psalmum, ut ter recitanti eundem quotidie certò vitam promiserint aeternam. Verùm meritò *Kimchi* annectit, non ore solo sufficere ipsum, deblaterasse, verùm trium opus etiam esse conjunctione : oris, cordis, linguæ. Encomium, inter cætera Psalmi hujus etiam ex ordine versuum alphabetico non parum augetur.

המלך *ô rex* :) qui scilicet regibus mundi universis atque singulis imperas, qui omnium es opulentissimus, cellissimus, clementissimus, potentissimus, qui solus rex es in veritate, cum alii in vanitate. Idem Deo titulus tribuitur Psal. X, 16 : Dominus rex in seculum & sempiternum : item Psal. xxiv, 8. 10. xxix, 10. xlvi, 8.

ואכרזה & *celebrabo vel benedicam nomini tuo* :) h. e. famam tuam dilatabo inter gentes, quam potero latissimè, summèque honorificè. Sic Psal. XVI, 7 : **אכרז את יהוה**, qui consuluit mihi ; item Psal. xxvi, 12. xxxiv, 2. lxiii, 5.

לעולם *in seculum* :) i. e. tam in hac, quam futura vita. Aliqui nectunt cum nomine Dei, quod illud sit in seculum seculi, apud *Kimchium*. Verùm tutius de laudum in ecclesia tam militante, quam triumphante, continuatione id ex-

ponitur. Licet enim Deum efferamus quotidie, quotidie tamen ubivis nova occurret celebrandi materia. vide Voisin. *theol. Jud. p. 297. seq.* De nexu autem vocis hujus cum altera sequente **רעד** *Fessel. advers. t. 1. l. 3. c. 2. pag. 320. Campensis* : quoad vixero.

EXPLICATIO VERSUS II.

בכל יום *omni die* :) pergit laudum suarum efferre continuitatem, adeò ut non diebus solum festivis annuisve gaudiis eam adstringat, verùm singulis hebdomada diebus, iisdemque totis ; quippe **כר** & *omnem & totum* denotat, &c. Simul verò hac ipsa vocum rerumque earundem repetitione affectus sui indicat feritatem ac fervorem, ceu & alibi *επιμονής* eadem vis esse solet.

EXPLICATIO VERSUS III.

הגדול *magnus* :) eadem hæc verba vide Psal. XLVIII, 2. Magnus vocatur Deus non quantitate vel qualitate, quæ in Deo nulla, sed perfectione & potentia ; & quidem à seipso : vers. 4. De qua Dei magnitudine seu infinitate in *LL. theol.* Contra respectivam ac dimensionem, licet spiritualement, Dei magnitudinem aliquo modo intelligibile, juxta *Vorstium*, vide *Grauer. cent. disp. 1. quest. 4. Ch. Matthiæ coll. 2. antiph. p. 219.* Contra præsentiam universalis assertionem vel essentiam propinquitatem, ex textu hoc à nonnullis elicita, (cum tamen hac ratione ab aeterno non fuisset *Magnus*, quippe creaturis tunc nondum præsens,) vide *Theol. Sax. apol. decis. p. 473.* item *Feurb. ἀνωσ. sect. 7. p. 19. 71. 76.*

ומהלל & *laudatus vel laudabilis valde* :) vide *Psal. XVIII, 3. CL. 2.* laudate eum **כרב גדלו** secundum multitudinem magnitudinis ejus.

ולגדלתו & *magnitudinis ejus* :) qua videlicet tum in se magnus est, infinitæque & essentia & sapientia & potentia, &c. tum in operibus etiam suis incomparabilem semper manifestat magnificentiam ; veluti aliàs de magnificentia regia hocce **גדלה** usurpari solet, uti ostensum *Pf. LXXI, 21.* multiplicas **גדלתו** iterumque consolaris me.

אין חקר